



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1230. Usque Ad Annum 1248

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1764

VD18 90118049

§. 3. Collegia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66268](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66268)

blice docuerat. Cæterum documenta non dictabantur e scriptis, verum Professor præparatus ea continenter, sermonum instar, pronunciabat, & auditores, quantum poterant, calamis excipiebant. Hunc morem in Academia stabilitum vidisse Fratres Prædicatores, & accepisse credibile est.

III.
Collegia.

*Pasq. Recher. Lib. 9.
c. 15.*

* de Mar-
moutier.

*Hist. Lib. 83.
n. 47.*

Institutio Collegiorum, quorum initia circa dimidium sæculi XIII facta sunt, magno fuit adjumento ad tuendam politicam Academiæ disciplinam, & ad continendos in officio auditores inibi commorantes. Religiosi ante alios extruxere domos, in quas fratres suos scientiis conjunctim daturus operam, & a consuetudine cum hominibus profanis arcendos mitterent. Sic præter Fratres Prædicatores, Minoresque, quorum primas in ædes Parisienses totus Ordo convenit, etiam Bernardini (*) pro suis Collegia * Majoris Monasterii & Cluniacense condiderunt. Primis annumerandum venit Sorbonicum

(*) Benedictini, ut asseritur in celeberrimo Lexico universali Triyultino seu de Trevoux.

cum, Clericis, qui Sæculares dicuntur, destinatum: & postea plerique Episcopi erexerunt dotaruntque aliqua pro pauperibus litterarum studiofis e suis Diœcesibus. Hac arte satis quodammodo faciebant suo pene primario muneri erudiendi ac formandi Clerum suum, cum tantos Doctores, quanti publicis in scholis erant, suis in urbibus haud invenirent.

Porro disciplina Collegiorum ad alumnos non litteris solum sed & moribus Clero dignis imbuendos pertinebat. Vivebant communiter, divinum celebrabant officium, stas studiorum ac recreationum horas habebant, & plures Magistros vigiles, qui eos regerent, atque coërcerent: atque ita hæc Collegia erant parva quædam seminaria. Quid multa? Hæc institutio, ac reliqua omnis Academiæ providentia tum communi assensu excepta est, ut cunctæ Latinitatis regiones exemplum Franciæ ac Italiæ sequerentur, & a sæculo XIII novæ identidem conderentur Academiæ.

A 5 Vide-